



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XXII. Peieraturus in aede Virgini sacrata resupinus grauißimo casu concidit. Quare posteà quod mentiri conabatur, palam aperuit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

& Aquilonis regionib. confluant; turpe est nobis saepius non uisere tam sanctas relliquias, quae in Italiae luce, & conspectu uersantur.

## MIRAC. VIRG. XXII.

*Peieraturus in aede Virgini sacrata resupinus grauissimo casu concidit. Quare postea quod mentiri conabatur, palam aperuit.*

**A** Pud Turones in aede Virgini, Diuoq. Iohanni Baptistae dicata, diuino iudicio, male cum ibi peieraturo homine actum est. templum. n. a diuerat, foedisimi, ac taeterrimi mendacij testem Deum adducturus. Sed uix manum extulerat, ut nefarij periurij uerba proferret, cum super templi folio tanta ui resupinus caput concussit; ut uix postea potuerit surgere. Vbi ad se redijt, rem patefecit omnib., & qd' prius dolo, fraudeq. peieras celare, & claculum habere conabatur, ut in excelfo, & illustri loco apertè constaret, effecit; rebusq. alijs omnib. praetulit diuam, ac nudam ueritatem. Id nos docet B. Gregorius episcopus Turonum; qui etiam addit, quod maius est, multos Turones, qui ibidem peierare ausi fuerant, repentinae mortis supplicio fuisse multatos; ac se suis oculis etiam uidisse testatur. Quid. n. impiu magis dici potest? Quod nam scelus ab eo scelere abest, cum Deum opt. max. falsi testem obtestamur? atq. inuocamus? Qui id audent perpetrare, uel Deum non esse existimant; uel ita impuri sunt, ut illum mendacij,

E ut

ut ueritatem ipsam falsitatis testem appellare non ue-  
reantur, non erubescant.

## MIRAC. VIRG. XXIII.

*Virginis uestium reliquiae ab obsidione ciuitatem libe-  
rant; deinde ad coelum efferuntur.*

**C**ompertae fuerunt quaedam Virginis uestium  
reliquiae in eius sepulchro, cum tertio post  
obitum die fuisset in coelum assumpta. Illae  
maxima religione in quadam ciuitate custodiebantur.  
Fortè à Normanorum principe ea ciuitas numeroſo  
exercitu obsidebatur. Quare diuturna obsidione fati-  
gati omnes de deditone cogitabant. Sed sacer ipſius  
ciuitatis Antistites super hasta reliquias iussit efferri,  
pro militari signo, quam ipse suis manib. gestabat. Si-  
gniferū igitur praesulē omnes ciues sequentes, ex ur-  
be magna ui erumpunt; hostemq. aggredientes, ma-  
nus fortiter incipiunt conserere. Ea res tantum terro-  
rem hostib. incussit; ut statim eorū animi conciderint,  
qui prius elati erant; & ijs qui coelum minis uideban-  
tur territare, timor sit iniectus. Quare omnes caeci,  
abiectione, & semianimes facti fuerunt. Id, cū uiderent  
obsessi, in eos crudelissimè saeuire caeperunt. ex illis  
iam multi ceciderant, iamq. innumerabiles saucij fa-  
cti fuerant; cū repente reliquiae Virginis, cui tanta  
clades displicebat, quaeq. crudelium rerum spectacu-  
lis non potest interesse, euolarunt. Illorum deinde ex  
oculis, quorum lux, atq. acies diuinae uestis splendo-  
re fuerat perstricta, atra caligo, & coeca nubes fuit ex-  
pulsa.